Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1983
Quelle:
Copyright:

impedimenta in propria persona non possit Pontificem adire, misisse ad praestandam obedientiam *Johannem comitem in schawenberg, Leopoldum de eckertschaw, et Othonem de hohenberg*, item *Henricum flecklin* apost. Palat. causar. Auditorem et se Oratores. Etiam de hac Adlocutione silent, qui de *Nicolao* nostro egere.

Fol. 426. p. 2. Tractatio theologicocanonica, quae sic orditur: *Circa potestatem a Christo collatam prelatis ecclesie sex per ordinem sunt videnda. Primo de potestate Petri, Secundo de potestate Apostolorum, Tertio de potestate Discipulorum, Quarto de potestate Pape, Quinto de potestate Episcoporum, Sexto de potestate Curatorum.* Horum VI. *Articulorum* quilibet in plures abit *Conclusiones.* Ita *primus* in 5. *secundus* in octo, verum in media *Conclusione* 7. deficit evulsis foliis laboriosus hic Codex.

DCCCX.

U. 569 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 333. 4. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus et, ut fronte et calce adseritur, *Collegio Ducali* anno 1425. donatus a *Venerabili Viro M. Johanne Aygel de Chornnewenburga Artium et Medicine Doctore*, qui undecies Facultati suae Decanus, et a. 1412. Academiae Rector praefuit, varias *Sermonum* sacrorum Classes exhibet, quarum I. complectitur Dominicales et Feriales per annum in Epistolas et Evangelia, II. *fol.* 95. Quadragesimales, III. *fol.* 138. pro Festis Domini, IV. *fol.* 165. pro Festis B. V. Mariae, V. *fol.* 185. de S. Viris, VI. *fol.* 243. de S. Feminis, VII. *fol.* 257. Sermones mixtos et asceticos. Exordium est ab *Adventu*, praeitque *Processus generalis per aduentum*, qui incipit: *Preparare in occursum dei tui israel. Amos.* 4. c. *Verbum istud per totum aduentum predicabile est. in quo tria attendenda. Primo cui dicitur quod Israel* &c. Sermones plerique breves sunt, pleni numericis illis distributionibus, quas, qui illis uti velit, deducat primo et amplificet. In Classe V. Sermones sunt de *Stephano*, *Ladislao* et *Emerico*, quem *Henricum* facit Librarius, *Hungariae* Regibus, unde *Hungarum* fuisse, aut saltem ad *Hungaros* dixisse Nostrum infero. Nec tamen Collectio nostra aut *Pelbarti de Temeswar Pomoerium*, aut *Fratris Hungari Biga Salutis* est, quae Sec. XV. typis edita habemus. *Fol.* 184. p. 2. alia aeque vetusta manu adjectae sunt X. Distichis comprehensae Figurae V. T. quae Deiparae adcommodari solent, hoc initio:

Archa, columba Noe fuit hec, Moysi rubus, Aaron
Virga, Jacob scala, septima spica Joseph &c.

Item